TVRRIS DAVIDICA.

Ex quà mille Clypei pendent Cant: 4.

Ad defensionem Ecclesiæ Catholicæ,

In Gratulationem.

Admodum Rndo Dno, Domino

M. IACOBO VITELLIO

Sac: Theol: Profes: Can: S. Floriani.

D V M

In Almâ Academiâ Crac: Quæstionem Theologicam, De Certitudine Infallibili Scripturæ Canonicæ ad disputandum publicè proponeret.

Præsidente

Illustri & Adm: R. Dno, Domino

M. ADAMO OPATOVIO

Sac: Theol: Doctore & Prof: Can: Crac: Viro doctissimo,

Erecta.

A

M. NICOLAO SVLIKOWSKI,

Collega Minore, Ordinario Eloq: Profes: & in perpetuæ obseruantiæ ergà suum Præceptorem Monimentum.

C. & D.

CRACOVIÆ, In Officina Martini Philipowski.

SIcut turris David collum tuum quæ ædificata est cum propugnaculis, mille Clypei pendent ex ea omnis armatura fortium.

Cant: cap: 4. v. 4.

TVRRIS DAVIDICA.

Ex quâ mille Clypei pendent, Cant: 4.

REgina muros quid Babylonios,
Chari Mariti ſanguinis appetens
Extollis? horum æquas coluris
Purpureis iuga picta Cæli.
Hos Perſa fregit, ſat tenui impetu
Truncando nares, vel faciem ſuam
Cruore ſpargens, cepit arces
Mille Viris, fluuijsque cinctas.
Aequanda Cælis, Aſſaraci genus
In aſtra quid fers? Pergama laudibus,
Apollinis conſtructa dextris,
In tenues abiêre arenas.
Duces Quirini, cur Capitolia?

Defensa iactatis strepitu anserum
Onusta præ gemmis, & auro,
Præ exuuiis populi ruêre
Humana quidquid dextera condidit,
Humanus ausus, postea diruit,
Iácent Mycænæ, Troia strata,
Strata iacetque superba Roma,
Inuicta turris, stat Theologia,
Cui fixa pendent scuta rigentia,
Polita Vulcani labore,
Nec rigidi Steropis lacertis.
Truces tumultus, hostium & impetus,
Vibrata possent tela retundere
Suam amplitudinem beatam,
Ne inficeret sceleratus ausus.
Stat illa firmis condita rupibus,
Christi potentis, quam Nebulæ globi
Ventorum & obluctata fumis,
Nubila non remouere possunt.
Effusa tetris agmina ab inferis,
Non absque magnis opprobriis, ruent

Fædare

Fædare si tentent virentem,
In stygias tenebras subinde.
Præsto phalanx doctæ est Academiæ,
Missos furores ceu clypeus fugat,
Pro Ecclesiâ, vel voce, vel scripto.---
Arma subire parata semper.
Ancile lapsum sedibus igneis
Erat perennis Romuleis viris,
Certum beatitatis omen,
Imperij validique signum.
Quæ faustitatis, symbola candidæ
Maiora fiunt: quàm Sapientiæ
Mitris sacræ cum laureati
Regna, viri populos, & ornant.
Excedit altis liuor ab vrbibus,
Licentiosæ vita proteruiæ
Occumbit, & cædes nefanda
Exulat, opprobriumque fædum.
Fas, sæpe Iustum, cana fides manet,
Quæ regna firmat, non sinit impios
Numos triumphare, & superbas
Erigere arma cruenta cristas.

Mundus triumphat, dum Theologia
Mundo triumphans, ſplendet honoribus,
Augenſq́ue diuinum timorem,
Lætitiæ agglomerat Maniplôs
Illa & vetuſtis imperat oppidis,
Ponitq́ue leges æquoris inſulis,
Eccleſiæ, Regum coronas,
Illa facit nitidas ſubeſſe.
Ergo, Vitelli, talis adoreæ,
Eccleſiæ vt ſis Parma potentior,
Plaudente cælo ſors tibi data ---
Arbitrio haud popularis auræ.
In bella perges, excitat Hæreſis
Quæ Geneuenſi ſtigmate nobilis,
Contra fidelium phalangem,
Exacuit furibunda morſus.
Aetas Themiſtocli, pueritiæ
Erat potenti perſimilis tua,
Monile cum victor videret,
Funeribus medijs coruſcans.
Dixit ſequenti, tolle monilia
Hæc tu, Dynaſtam talia non decent,

Alter

Alter Themiſtocles præeſſe
Non poteris populis Achiuis.
Sic tu voluptam, quam iuuenum cupit
Malignus ardor, præcipiti gradu
Vitans, relinquebas inertibus ---
Quibus eſt animis libido.
Cum vagiebas, Pieridum à choro
Nouem ſororum, murmure garrulo
Graias, Latinas, Hæbreaſque
Crederis edidiciſſe voces.
Genis nitebat, pulchra modeſtia,
Et corde caſto, ſimplicitas tuo,
Vt quiſque virtutum putaret.
Eſſe domum Charitum venuſtam.
Vitæ phaſelum dirigere huc citam,
Tuæ ſtudebas, vnde Dei nitor
Manaret, & Graci Lycæo,
Gloria ſurgeret æuiterna.
Aurora nunquam mollibus in toris,
Vidit cubantem, nec præiit poli
Surgendo lampas ad labores,
Te artibus implicitum Thaliæ.

Numen

Numen ſupremum, ſic voluit ſuum
Scutum poliri, terribile hoſtibus,
Reddique templis, & Lycæo,
Inſolitis radijs coruſcum.
A matre Princeps arma receperat
Troianus olim, ſculpta Ducum fuit,
Ex arte Vulcani, propago
In quibus imperij Quirinùm.
Cernat benignâ dote Vitellium,
Artis refertum, credet imaginem,
Docti Platonis, vel Socratis,
Et celebris propriam Mureti.
Inter celebres, atque Vitellium,
Diſcrimen vllum, non video viros,
Niſi quod illa ſinguli, quæ
Cuncta Vitellius obtineret.
Teſtatur iſtud Nobilitas Lechi,
Et grata cordis ſeruat amoribus,
Ex ore Cuius ſuauiores
Hauſerat Ambroſiâ liquores.
Hunc conditoris prætulerat ſonis
Ex arte fuſis Ogygiæ domus,

Ad

Ad astra sublati serêna
Coniugis Euridiceque plectris.
Professionem Tilicij auream,
Suadæque pangens: ipse vel aureus
Ostendit hic plagas Polonas
Artibus eloquij nitere
Ergo Vitelli. Cincte Panopliâ
Summi Polorum numinis & soli,
Retunde iam telisque tela
Te manet impauidum triumphus.

D. O. M.

Sub Auſpicijs felicibus,

Mag: & Admodum Rndi Dni

D. IACOBI VSTIENSIS,
S. Theol: & I. V D. & Profeſſoris ad S. Florianum & Georgium in arce Cracouienſi Cuſtodis, Almæ Academiæ Crac: longè vigilantiſsimi Generalis

RECTORIS.

